

Georg Detharding

**Programma Qvo Ad Anatomiam In Sexu Masculino a se publice habendam
Magnificum Dominum Rectorem ... humanitate & observantia invitat**

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1712?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1771776390>

Druck Freier  Zugang



35

PROGRAMMA
QVO AD
ANATOMIAM
IN
SEXU MASCULINO

â se publice habendam

MAGNIFICUM DOMINUM
RECTOREM

*Illustres omnium Collegiorum Praesides
& Assessores*




OMNESQVE OMNIUM ORDINUM
CIVES ACADEMICOS;

*ea qua decet humanitate & observantia
invitat*

GEORGIUS DETHARDING

Med. D. & Anatom. Profess. Publicus
Ordinarius.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi
Senatus Typographi.



de artificiosa corporis humani structura.

1712



Quantum jam vos, *Fautores atque Amici*, ad illa voco exercitia, quæ non modo provincia in hac Academia clementissime mihi demandata a me postulat, sed quæ vestra attentione, eo minus indigna judico, quò magis ad unguem, quanta fuerit Æterni Conditoris de vobis cura & quantus in vos amor, ex structura & concessione tam concinni habitaculi pro animæ domicilio, ac corpus vestrum est, observare poteritis. Habent brutorum corpora, quæ oculos curate inspicientium oblectare, rimantium illa animos in admirationem rapere, mentemque talia Philosophantis confundere citius quam satiare potis sunt. Ast! si ista, quanto etiam artificio condita sint, comparare cum corpore humano suscipias, imperfecta illa dixeris, solum corpus humanum ex omni parte absolutum: adeo in hoc omnia singulaque, unde bruta excellunt, ordine concinniori, splendidiore elegantia & usui diffusiori, locata, fabricata & aptissima sunt. Intueamur, quæ statim in oculos incurrunt integumenta Animalium, nunc illa pilis, nunc

nunc fetis nunc squamarum densa serie decorata sunt; non minus cutis humana pilis instructa est & squamosa; verum nulla hic hirsuties, nullus ex fetis horridus aspectus, squamæque tam nitide sibi invicem impositæ sunt, ut oculo armato indigeat, qui illas contemplari vult, tactum certe subtilissimum illudunt. Est brutis quoque Cerebrum, quod mirabili structura sua stupidissimum quemvis percellat; attamen si Proportionem & hic attenderis, duplo cerebrum, quod caput hominis includit, magnitudine sua superat Cerebrum maximi Bovis & grata rotunditate, quæ figura reliquis habetur perfectior, sibi gratiorem & nobiliorem hospitem adesse solo aspectu iuculcat. Habent Corda animalium (ne dicam horum amplitudinem multum cedere humanis) sulcos suos internam cavitatem exornantes, habent lacertulos seu montes carnosos internis parietibus affixos, habent fibrillas carneas, hinc inde seu trabes extantes; in nullo tamen corde nisi humano, tantus sulcorum apparatus, tanta carniū elegantia, tanta fibrillarum congeries, adeo ut in sensu æque physico ac morali Cor humanum perscrutari res sit admodum difficilis. Tanti præterea artificii structura est humana, ut nisi Conditori sapientissimo placuisset in brutis ea quæ humanum corpus extollunt, rudiori quasi penicillo delineare hodie-
num notitia anatomica nimis quam manca foret ac inutilis. Est inde quod pro notitia compagis sibi intimius comparanda, quæ humanum corpus excellit, Anatomici magnis sudoribus examinaverint brutorum corpora; Pulmonum substantiam esse vesicularem illos docuerint ranæ & testudines; Fabricam testiculorum glomeratam in gliribus didicerint; Hepatis glandulosum contextum detexerint jecora cochlearum & anguillarum; Lienis cellulas miro artificio implexas convenientissime conspexerint in splene
X 2 piscis

piscis Carchariæ; Tactus sensum certis quibusdam papillis nerveis esse adscribendum, quia hæ in boum extremis naribus evidenter conspicuæ, seu quibus objecta alimenta distingvere norint, tandem perceperint; & ita demum penetraverint in fabricam corporis humani admiratione plenam & abditam. Verum enim vero non est ut ad interiora provocem & paucioribus fortean nota stamina artificiosa in textura humani corporis, quæis vel bruta omnimode carent vel quæ non tanto decore nec politissima, quæ illud arte, perfecta sunt. Res quam urgeo obvia adeo est & tam conspicua ut non aliunde sensuerit, ac quia semper ob oculos versatur, elegantiam volo corporis humani præ fabrica structuræ brutorum. Solam adspiciamus, quæ homo præditus est, manum. Hæc si fabricam species composita est ex triginta & sex ossibus, carnibus septendecim, novendecim articulis, ut taceam politam, quæ tegitur cutem, interspersam pro jugi motu pinguedinem, alligatos in officium tendines, præfixos pro robore ungues; si usum velis, omnia singulaque quotquot Dedalæa ars excogitare vel fabricare novit, instrumenta longis intervallis superat. Sive cibi sint grate comminuendi manus suppetit, sive comminuti cibi ori tradendi, prompta manus est, sive corpori necessaria circumvolvenda, manus adest, sive noxia blande removenda, denuò manus perficit. Quomodo in brutis? Destituuntur lin universum instrumento tam fideli. Sunt illa inter, quæ rostris opus est discerpant vel capiant alimenta necessaria, nidos construant ore imo tela sua simili artificio nectant; quæ vero ex illis pedibus anterioribus sibi manuum loco subveniunt, quam non inconcinne quam horride quam truculenter, ut, sicuti hominem ita vesci conspiceremus, ad fletum deduceremur & misericordiam. Vel tunc autem quam
maxime

maxime differentia illa, quæ elegantiae ergo hominem inter & bruta intercedit, quemvis percellit, sicubi Fabricator ille optimus (an negligentiam mortalium supinam his inculcando?) nasci permiserit homines bestias, cornutos, homines ursos canes, homines porcos simias belluas. Negat pagellæ hujus spatium membratim illa omnia exponere, ex quibus Eminentia corporis humani præ efformatione corporeæ molis in brutis foret conspicua. Suppeteret certe argumentum ex erecto corporis incessu, ex quo olim jam sapientes intellexerunt se cœlo esse destinatos, reliquis animantibus ad terram depressis, ut, dum nulla his esset immortalitatis expectatio, toto corpore in humum projecto ventri servirent & pabulo; vel ut Poëtæ verbis hæc eloquar:

Nonne vides, hominum ut celsos ad sidera vultus

Ex tulerit DEUS, ac sublimia finxerit ora?

Cum pecudes, volucrumque genus, formasque ferarum

Segnem atque obscœnam passim stravisset in alvum.

Nec minus illud constare posset ex Symetria illa partium humani corporis inter angustos cancellos adeo justa, ut non tantum illa deficiat in brutis sed non major sit in suberbissima universi mole. Vel maxime autem abstineo Lectoris causa ne longiori prærogativæ tantæ encomio videar me insinuare Illi ea velle, de quibus non aliter possum quam credam omnes mortales mihi accessuros fore. Cujus vero gratia tam artificiosa compages nitidissimumque habitaculum à DEO perficitur? An sibi? ita quondam Audianis erat persuasum ut inde nomen Anthropomorphitarum

rum acceperint, quos dum Epiphanius sedulus est ab hæreseos liberare crimine & ex ingenii imbecillitate illos magis quam perversitate errasse scribit, mallet pronunciare inductos illos fuisse elegantia corporis humani, ut DEUM fingerent in similitudinem hominis formatum. Jam dudum enim Ethnici illis adhuc rudiores pulchrum dixerunt corpus humanum quod participaret summam DEI pulchritudinem & quicquid formositatis in se haberet, id non aliunde, quam à fonte Divinæ pulchritudinis haberet. Justius tamen omnibus illis Christiani, divinum quando corpus vocant, non aliter innuunt, ac quia ex liberalissimo DEI arbitrio sua manu condigne constructum est. Nec vero DEUS qui omnia replet corpore indiget. An ergo Angelis illud in usum cedit? Spiritus hi sunt ossibus & carne destituti. Soli animæ humanæ concessa hæc domus est, peritis dispositionibus instituta, ut illam ad tempus inhabitare, creaturarum usu frui, Fabricatoris favorem inde colligere, & ita DEO magis magisque advescere debeat, tandem in Hujus amplexus penitus ut ruat. Concessa hinc non tantum illi est notitia omnium singularumque ædificii hujus partium, concessum illi in corpus imperium, sed etiam, sicuti hinc illi obreperrint damna, illi scientia concessa hæc reparandi & ad præfixum sibi tempus domicilio hoc splendido commodissime frui. Tanta ergo benignissimi DEI liberalitas nonne omnem nostram exposcit gratiam? In quo autem illa commodius præstari à nobis poterit quam humiliter ac reverenter divitias illas nostras meditando & sub contemplatione canendo gloriam & Amorem suum. Absit nostrum quæpiam, quos vera Veri DEI notitia ornat inferiorem fore Ethnico quondam Medico, *Galenum* volo, qui commentarios suos de usu partium Conditori suo conse-


consecrans, non vera pietas, inquit, si quisquam becatombas Ei plurimas sacrificaverit & casias aliaque sexcenta unguenta suffumigarit, sed si noverit, ipse primus deinde aliis exposuerit, quanam sit ipsius Sapientia, quanam providentia, quanam in hominem bonitas. Hæc ignorare, addit, impietatem arguit, non si à sacrificio abstinueris. Laude coruscant labores Astronomorum, qui orbium cœlestium scrutantur circulos & siderum stupendorum cursum; indefessa est & miranda Geographorum industria, qui omnes terræ perquirunt angulos, ne in tabulis suis typographicis vilissimus quidam pagus desideretur; angunt se Critici ex fragmentis veterum scriptorum, quanta his fuerit sapientia, posteritati sedulo ostendere; ast! quis non Vicinum suum infantiæ argueret qui situm magnitudinem atque conclavia alienarum ædium in digitis numerare posset, suæ domus, quam inhabitat & quæ reliquas ornatu & fabrica longe superat admodum ignarus. Quæ omnia cum vix alicui in dubium venire possint, de præsentī occasione, quæ sese offert modo memorata intimius meditandi, & Vobis gratulor, Viri O. O. honoratissimi, & mihi. Vobis equidem, quorum in studia anatomica propensio ex præteritis sectionibus, quibus tam sedulo interfuistis, sat satis mihi constat, nova inde emergit ansa tum repetere ea, quæ olim observastis, quum illa, quæ tunc oculos aut mentem subterfugerunt, plane nunc perspicere. Quod de Lectione ajunt, hanc lectam placere, decies repetitam longe adhuc gratiorem esse, valeat vel maxime de sectione anatomica cujus non prius capere quem tædium poterit, ac penitus perspectum habuerit mirabile illud opus, quale corpus humanum est, id quod centum anatomiis non assequetur. Mihi vero vel inde gratulor, quod lubidini illi vestræ tam grate subvenire & denuo


denuo in corpore demortui ostendere possim, quam vi-
vida bonitatis divinæ signa corpus nostrum præferat &
monere, si corpori habitaculo animæ, tantæ insunt deli-
ciæ, quantum bonum fuerit ipse hospes, Domicilii Domi-
nus Excitate|hinc porro frequentia vestra, studium hoc
meum, & prouti persuasissimi eritis ex illis, quæ priori-
bus Anatomicis in vestrum commodum afferre sedulus
fui, me à Vestrum dependere nutu, ita non est ut
in hac de diligentia mea nec unquam de officiis meis &
quæ à me exspectari poterunt, vel quicquam dubitetis.
Agite ergo & spectatum venite. Curabimus vero
utrinque ut sit mens pulchra in corpore
pulchro.

DEMONSTRATIONES HABEBUNTUR HORA SECUNDA
POMERIDIANA IN LOCO ANATOMICIS DICATO.

TESSERA ANATOMICA,
OPTIMI CONSULTORES
MORTUI.

*Anno 1712. Mens. Januario. Non fuit instituta.
Nam Dani ex Defectionibus suis, quos prope Wismariam in prælio receperant,
aliquem suspendendum promiserant: at deinde captivos se cum omnes abiecerunt.*





ia illa, quæ elegantia ergo hominem
recedit, quemvis percellit, sicubi Fabrica-
an negligentiam mortalium supinam his
ci permiserit homines bestias, cornutos,
ines, homines porcos simias belluas.
us spatium membratim illa omnia expo-
Eminentia corporis humani præ effor-
æ molis in brutis foret conspicua.
rgumentum ex erecto corporis incessu,
sapientes intellexerunt se cælo esse desti-
namentibus ad terram depressis, ut, dum
mortalitatis expectatio, toto corpore in
ventri fervirent & pabulo; vel ut Poëtæ

r: *Nulli videri possent, sed cunctis*

hominum ut celsos ad sidera vultus

EUS, ac sublimia finxerit ora?

, volucrumque genus, formasque fe-
rarum

e obscenam passim stravisset in alvum.

instare posset ex Symetria illa partium hu-

r angustos cancellos adeo justa, ut non

in brutis sed non major sit in suberbissima

el maxime autem abstineo Lectoris cau-

rogativæ tantæ encomio videar me infi-

de quibus non aliter possum quam cre-

rtales mihi accessuros fore. Cujus

nificiosa compages nitidissimumque ha-

perficitur? An sibi? ita quondam Au-

um ut inde nomen Anthropomorpha-

rum

3